



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Bvllæ Clementis VIII. Circa Nullitates proponendas in Iudicio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

quod dispositio Concilij Tridentini sess. 25. de Regular. c. 6. non derogat dispositioni d. text. in c. quia propter, ut etiam ait Rodriq. in Summa tit. de elect. c. 1. n. 2. & 3. quia ille adhuc est in obseruantia, Episcopus Minoris. in verbo Abbatissa, versic. ad sextum par. 2. Azor. insit. Moral. par. 1. lib. 13. cap. 10. quest. 2.

- 12 Vnde dicebam alias electionem factam per scrutinium, inualidam esse, dum plures scrutatores ultra numerum trium, de quo in dicto cap. adhibiti erant iuxta communem Doctorum sententiam, de qua ibi scribentes, & per Bertrand. consil. 187. Franc. Marc. decif. 1201. Rodriq. quest. regul. 51. art. 2. tom. 2. Summis in verbo electio Azor. insit. moral. par. 2. lib. 6. cap. 14. quest. 11. quorum aliqui non erant de collegio, & certum est requiri ad huiusmodi electionem, ut dicti scrutatores sint de collegio, ut patet in dicto text. ibi de collegio, ubi notant Doct. Roman. consil. 312. num. 12. Goffred. in Summa de elect. num. 7. Hostiens. in Summa eod. tit. §. qualiter facienda, & alij supra citati.

RESOLVT. XXX.

- 1 Electio in qua Præsides Capituli mandat scrutatoribus, ne recipiant suffragia pro aliqua persona, est nulla.
2 Refertur ad id declaratio sacre Congregationis Illustrissimorum Cardinalium.

Electio an sit nulla ubi Præsides Capituli, siue alius superior mandat scrutatoribus, ne recipiant suffragia pro aliqua persona.

1 FVi in opinione, dum casus accidisset, & fuisset consultus electionem factam in quodam Monasterio esse nullam, stante quod Præsides Capituli preceperat scrutatoribus ne recipere suffragia pro quodam fratre, prout ita determinauit sacra Illustrissimorum Cardinalium Concilij Interpretum Congregatio per hæc verba.

Quæritur an in electione Superiorum Regularium Præsides Capituli possit præcipere scrutatoribus sub præcepto sanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis lata sententiæ ne recipiant suffragia oretenus tradi solita pro aliquibus, ultra certum numerum electioni insufficientem, sed eo completo dicant Electoribus ad aures, (ut seruari dicitur) ut dent alijs eorum vota, & an electio hoc modo celebrata sit valida.

- 2 Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum hanc eligendi rationem, quæ libertati electionis, ac naturali consensui aduersatur, omnino improbat, censuitque electiones hæcenus celebratas, si scrutatores præcepto superioris obtemperantes singulorum eligentium vota non receperint, pro Canonicis non haberi S. Cardinalis Salsana, Prosper Fagnanus.



PRAXIS BVLLÆ CLEMENTIS VIII.

Circa Nullitates proponendas in Iudicio.

RESOLVT. XXXI.

- 1 Dispositio Bullæ.
2 Lites quot mala secum habeant.

Bulla Clementis VIII. quid disponat.

- 1  Anticissimus Papa olim Clemens VIII. sanctæ, ac pie disposuit ad euitandum litis anfractus: iuxta terminos textus in Clement. dispendiosam de iudic. & ut imponatur finis litibus, quemadmodum notatur in cap. finem litibus de dolo, & contumacia, ut tres tantummodo exceptiones nullitatis in iudicio proponi possint, scilicet citationis, mandati, & tandem nullitatis ex defectu iurisdictionis.
2 Lites enim multa mala operantur, paupertatem, gignunt, odia secum portant, dissensiones adducunt, ut latius per Calam de modo articulandi, & probandi gl. 1. & per scribentes in pragmatica Regni, Odia litium de compromissis; vnde occasione istorum dubitabimus de infra scriptis. Et primo circa exceptionem nullitatis ex defectu citationis, quæritur.

RESOLVT. XXXII.

- 1 Citatio ad sententiam est necessaria, & est facienda nominativum num. 2. Et debet esse personalis num. 3. & 4. alias non valet etiam si esset in fauorem non citati numer. 7.
5 Citatio circumducta quid operetur.
6 Citatio ad sententiam debet esse vna peremptoria, vel triplex.
7 Index ubi mutatur, noua requiritur citatio.
9 Nullitas proveniens ex defectu citationis dicitur insanabilis.

An omisso citationis ad sententiam, vitiet sententiam, & qualiter debeat esse talis citatio.

1 Regulam constituo, quod citatio ad sententiam est necessaria, & amissio illius inducit nullitatem sententiæ ipso iure text. in clem. sæpe §. sententia verò de verbor. signific. l. de vnoquoque ff. de re iudic. l. 1. §. cum de edicto, ff. quæ sententia sine appell. rescin. cap. consuluit de offic. delegati, l. quinta in principio tit. 22. par. 3. Rota decif. 17. num. 2. de sent. & re iudic. & decif. 361. n. 2. par. 1. diuersorum, Vantius de nullit. tit. de nullit. ex defectu citationis n. 56. Capi. decif. 1. ex n. 35. Azebedus in l. fin. tit. 17. lib. 4. recopil. ex n. 39. vique ad n. 52. Grafs. decif. 11. num. 2. de re iudic. Decius consil. 603. num. 11. Diaz in regula 773.

2 Et valeat dicta citatio ad effectum, de quo supra, debet exprimere nominativum quod sit ad sententiam diffinitivam audiendam, non autem sufficiat citatio generalis ad causam, vel ad audiendam voluntatem Iudicis glossa verbo ad in dicta clement. sæpe §. sententia verò de verborum significatione, vnus Cardinalis sub num. 9. notabili 16. & cæteris Felynus in cap. consuluit num. 16. de officio deleg. Alexand. conf. 115. num. 5. lib. 5. Lopez in l. 5. gloss. verbo Emplazar tit. 22. par. 3. Rota decif. 17. num. 1. de sent. & re iud. in nou. Vantius tit. de nullit. ex defectu citationis num. 56. & fuit resolutum in vna Mediolanen. decimarum 27. Ianuarij 1595. coram Orano.

3 Et etiam requiritur, quod citatio ad sententiam debeat esse personalis, non autem sufficiat fieri ad domum, nisi quando prius præcesserat citatio personalis in principio causæ, & postea in personam citari non potuit, quia aut citandus latitabat, aut citatio esset difficilis, quia citanda esset mulier, aut alia difficultas aderat clem. causam quæ de dolo, & contum. Put. decif. 279. quæ incipit in vna Romana lib. 2. & decif. 33. & 283. lib. 3. Verall. decif. 117. num. 1. & per totam par. 1. & decif. 322. & 334. ibid. & decif. 119. part. 3. Achill.

Achil. de Grassis decif. 17. de dolo, & contumacia, Caesar de Grassis decif. 7. num. 1. & 2. de sententia, & re iudic. Crescentius decif. 18. eodem tit. Mohe-
danus decif. final. de dolo, & contumacia, & decif. 18. eodem tit. & decif. 7. vt lite pend. Vantius de
nullit. ex defectu citationis num. 82. 83. & 84. Vestrus
in praxi iuncta additione lib. 5. cap. 13. num. 2. & 11.
Rota decif. 5. & ibi additionator. de rescript. in nou.
& decif. 36. numero 8. & 9. de procurator. in nou. &
decif. 8. & 20. de dolo, & contumacia in antiquis,
Castadores decif. 12. num. final. de rescriptis. Verall.
decif. 111. & 114. par. 1. Nicellus de concordia glof-
farum concordia 52. num. 225. & 226. apud quos le-
tor de hac materia ad futuritatem reperire poterit,
4 & in curia semper seruatur rigorose, quod citatio
ad sententiam fit personalis, nisi ex vrgentissima
causa, & tunc fieri solet ad domum, & in acie Campi
floræ per diligentiam a duobus Curforibus factam,
vt notum est.
5 Et etiam, neq; releuat citatio personalis ad senten-
tiam facta, si tamen remansit circūducta per nō com-
partitionem citantis l. & post edictum §. quod si is fit.
de iudic. cap. cum speciali, vbi Innoc. n. 5. Franch. n.
47. & ceteri de appellat. Caesar de Grassis decif. 11. n.
2. de sentent. & re iudic. Roman. conf. 454. n. 13. Ti-
raq. de retract. lignag. §. 15. glof. 2. sub num. 9. vers. &
idem cum pars aduersa, Cappell. Tholos. decif. 14. n.
2. Achil. decif. 13. de dolo, & contum. vel si maneat
d. citatio circūducta ex eo quod fuit facta ad certum
diem, seu tempus & intra illum, vel illud pronunciata
sententia non fuerit, nam si lapsu illo tempore pro-
nunciatur, erit sententia nulla ex defectu citationis,
Gabriel lib. 7. tit. de citat. conclus. 1. num. 113. &
num. 437. cum seq. vbi post plures quos allegat hinc
inde concludit, quod si in die immediatē sequenti In-
dex pronunciauerit, sustinebitur talis sententia.
6 Nec est necesse, quod citatio hæc ad sententiam fit
vna peremptoria, vel triplex citatio, Feij. in cap. con-
sultum num. 8. de offic. deleg. vbi late hanc declarat
materiam pluribus limitationibus ornando.
7 Et huiusmodi sententia est nulla ex defectu citatio-
nis, non tantum si sit pronunciata contra non citatum,
sed etiam si sit in eius fauorem lata Glof. & Bart. in l.
si furioso n. 2. ff. de re iudic. vbi communiter omnes,
Verall. decif. 140. par. 3. late Vantius de nullit. ex
8 defectu citationis num. 10. Gabriel dict. conclus. 1.
num. 66. de citat. affirmans num. 114. quod quamuis
semel facta fuerit citatio ad sententiam, si postea
remouetur ille Index, & alius subrogetur, pronun-
ciari non posset, nisi de nouo coram illo fiat alia cita-
tio ex Glof. in l. consentaneum in verbo a quo C. quo-
modo, & quando Iudic. & ibi Bart. num. 11. num 7.
& Salyc. num. 9.
Imò non valet sententia sine citatione ad illam pro-
lata Bal. in l. 1. n. 8. C. quomodo, & quādo Index Cald.
conf. 8. n. 1. in fin. de re iudic. Dec. conf. 603. viso pun-
cto num. 12. Alex. conf. 235. ponderatis his n. 12. &
facit decisio Put. 24. num. 1. lib. 3. copiose Gabriel in
tit. de citat. conclus. 1. num. 197. cum seq.
9 Hinc est, quod nullus proueniens ex defectu talis
citationis ad sententiam, sit insanabilis etiam per
commissionem, seu rescriptum Papæ, quando om-
nino deficit citatio ad sententiam Caesar de Grassis
decif. 11. num. 9. de sententia, & re iudic. Gomez.
in compendio signaturæ numero 68. & 69. cum alijs
Ferret. conf. 209. num. 9. lib. 1.
Et etiam si simpliciter, & de plano, & sola veritate
inspecta procedatur, vt in d. Clem. sapē de verb. fi-
gnific. Put. in trac. de sindicatu verbo sententia cap.
2. num. 12. cum alijs Acebed. in l. 10. num. 43. & 44.
tit. 17. lib. 4. recopilat. & Nouar. in pragm. Regni. 1.
sub rubr. de citation.

RESOLVT. XXXIII.

- 1 Citatio vtriusque partis requiritur ad sententiam, sed
declara. vt num. 2.
- 3 Appellans extraiudicialiter, per ipsam appellationem se
ipsum citat.

An dispositio huius Bullæ intret si vtraque pars non fue-
rit citata ad audiendam sententiam.

- 1 **P**ro affirmatiua opinione transibam in facto in-
calu mihi proposito eo quia vtraque pars est ci-
tanda ad sententiam audiendam, nec sufficit alteram
esse citatam Abbas, & Lopus in Clem. sapē num. 12.
de verb. signific. licet ibi dicat Bonifacius Vitalinus
sub num. 43. quod stylus, est, quod vbi pars aduersa
ad hoc licet aliquid cautelosi faciant quod etiam ad
idem assignetur terminus ipsi parti instanti, prout
est glof. in l. 2. in fin. magnæ Glof. Cod. quomodo,
& quando Iud. & Index si vellet ex suo officio dare
sententiam, partibus non instantibus, & eas facere
citari, satis rigorose procederet, & forsan iniuste
hætenus Vitalinus.
2 Addo ego, quod non est necessario citatio facien-
da vtrique parti, quando citatio non fit ex mero Iu-
dicis officio, nam eo ipso, quod vna pars citat alter-
am, a fortiori, & seipsam citare censetur Put. decif.
517. incipit in vna Salamantina num. 7. lib. 2. dicit,
3 quod appellans extraiudicialiter, per ipsam appella-
tionem seipsum citat. Clem. causam que de election.
Bellamer. decif. 749. Achil. de Grassis decif. 14. num.
2. de appellat. sicut, & committens causam, ac ob-
tinens decretum citationis contra aduersarium, in-
continenti seipsum citat, & quo ad eum ex illo tem-
pore dicitur se pendere, licet non quod ad aduersa-
rium, donec citationis instrumentum sit illi intima-
tum Rota decif. 6. vt lit. pend. in nouis. Pureus decif.
427. lib. 1. & 481. lib. 2. & 362. in fine lib. 3. Castador.
decif. 6. num. 3. & 4. super regulis Rota decif. 1. num.
4. par. 2. diuersorum cum alijs.

RESOLVT. XXXIV.

- 1 Citatio ad sententiam est necessario personaliter facien-
da.
- 2 Citatio ad sententiam est sufficiens domi, si citandus non
reperitur.
- 3 Domus citandi qua dicatur.
- 4 Citatio an fieri possit si scitur quem esse absentem.

An si citatio fuerit facta domi, subintret dispositio
huius Bullæ ad effectum dicendi de nullitate.

- 1 **R**egulariter citatio ad sententiam, vt sit valida,
debet esse personalis, non autem sufficit fieri ad
domum, nisi quando prius præcesserit citatio perso-
nalis in principio causæ, & postea in personam ci-
tari non potuit, quia aut citandus latitabat, aut ci-
tatio esset difficilis, quia citanda esset mulier, aut alia
difficultas aderat cap. cum causam, que de dolo, &
contumacia, Put. decif. 279. incipit in vna Romana
lib. 2. & decif. 33. & 283. lib. 3. Verallus decif. 117.
num. 1. & per totum par. 1. & decif. 332. & 334. ibid.
& decif. 119. par. 3. Achilles de Grassis decif. 17. de
dolo, & contumacia Caesar de Grassis decif. 7. num.
1. & 2. de sentent. & re iudic. Crescentius decif. 18.
eodem tit. Mohegan. decif. fin. de dolo, & contum.
& decif. 18. eodem tit. & decif. 7. vt lit. pend. Van-
tius de nullit. ex defectu citationis num. 82. 83. 84.
Vestrus in praxi iuncta additione lib. 5. cap. 13. num.
2. & Rota decif. 5. & ibi additionator de rescript. in
nou. & decif. 36. num. 8. & 9. de procurator. in nou.
& decif.

& decif. 8. & 20. de dolo, & contum. in antiquis Caffador. decif. 12. num. fin. de refcript. Verall. decif. 111. & 114. par. 1. Nicellus de concordia glossarum concordia 52. num. 225. & 226.

- 2 Verum ego putarem, quod si citandus non reperitur posset fieri citatio domi solitæ habitationis ex decif. 48. in nouis, & 396. in antiquis, Abbas in cap. caulam col. 2. verif. sed dubium num. 6. ibi & suadet æquitas de dolo, & contum. Fely. in cap. ad petitionem col. fin. verif. & alia dicta de accus. Decius conf. 461. num. 25. latius Nouarius in pragmatica 1. sub rubrica de citat. & quando permittitur de iure fieri citationem domi, intelligitur de domo quando inhabitat tempore citationis Romana conf. 454. num. 7. & 8. Card. in conf. 113. num. 3. & 4. Cuman. conf. 146. in primo dubio, Corne. conf. 52. num. 7. lib. 4. interpretans hæc verba solitæ habitationis, & ista est communis opinio, vt attestatur Tiraquell. de vtroque retr. tit. 1. §. 9. gloss. 2. num. 27. & Imol. conf. 105. col. 1. dicit, quod ista citatio domi fieri non potest, quando scitur quem esse extra ciuitatem in certo loco; quia tunc debet ibi citari personaliter: secus est, si esset vagabundus, quia tunc sufficeret citatio eo modo, quo dicit Bart. in leg. 4. ait prætor, ff. de damn. infect. alijs sent. extra lata cum dicta citatione est nulla, & ita reperio fuisse tentum in vna Romana bonorum de Zambecarijs coram Oradino die 3. Novembris 1554.

RESOLVT. XXXV.

- 1 Citatio quare sit necessaria.
- 2 Citatio est de iure naturalis.
- 3 Citatio non potest tolli per Principem.
- 4 Citatio est de iure diuino.
- 5 Citationis defectus non inducit perpetuationem Iudicis, nec interruptu præscriptionem.

De ratione, cur Bulla Clementis admittit nullitatem ex defectu citationis,

- 1 **R**atio provenit ex eo, nam citatio est adeo necessaria quod ea omiffa ipso iure redditur quilibet actus nullus l. de vnoquoque ff. de re iudic. Clem. pastoralis eodem tit. vt ea deficiente non sustinetur processus, nec sententia, vt per Innoc. in cap. præfenti n. 4. de refcript. & in cap. quarrelam n. 2. de procur. l. si cum a nullo, ff. de re iudic. l. cum bonus ff. de iud. 2 col. c. vt debitus de appell. Bal. in marg. ad Innoc. in verbo citatio prima; ea etenim de causa de iure naturali esse fertur, quia vera species defensionis per eam incitatur, vt in ius vocatus iura sua deducere, & tueri valeat, ac animus Iudicis ex partium assertione melius instruat, & apertius merita causæ pendatur; & ideo non erit omittenda Bal. in l. cum fratrem numero 8. Cod. de his qui, vt indignis, & in leg. 1. colum. 2. verficul. sed hic quaritur Cod. quomodo, & quando iud. & adeo efficax est talis nullitas, quod neque per Principem, vel Statutum, aut quamvis aliam constitutionem tolli possit, neque decerni, quod absque illa sententia feratur Ioan. de Amic. in c. quoniam perniciosum col. 1. de vfur. Soc. conf. 266. a num. 45. vique ad 52. vol. 2. Bal. in l. 1. de off. deleg. Fely. in cap. ex parte, il 2. num. 10. de off. deleg. Ancharan. conf. 211. a num. 2. ad fin. Franc. in cap. cum dilectus q. 52. limit. 3. num. 138. de appell. & etiam locum habet in Principis sententia lata absque citatione, vt eodem modo nulla sit, Caffadorus decif. 8. num. 6. de refcript. cap. 1. vbi Abb. num. 4. de causa pos. & prop. Fely. in cap. quæ in Ecclesiis num. 76. verif. limit. 5. de constit. Marfil. sing. 55. citatio; quod tamen secundum Abb. loc. cit. intellige de potestate or-

dinaria, & iuridica, non de absoluta, seu illius plenitudine Viui. in lib. com. opin. in verbo sententia non proferri numero 6. Soc. in tract. citat. in 7. art. princip. Iafon in l. nec quicquam num. 29. ff. de off. procons. & leg. c. Deus omnipotens 2. q. 1. Marfil. in d. l. de vnoquoque num. 13. Gabriel com. opin. in tit. de citat. conclus. 5. num. 5. & seq. & numero 13. ratio vrget, quia cum citatio sit fundamentum iudicii quando eam negat, consequenter defensionem negare videtur, eo quia ignorans, nec comparere, nec se tueri valet Specul. in titulo de citat. princ. Abb. & Doct. in cap. quoniam contra, in verb. citans de, probat. Bartol. in l. prolata, ff. de sent. & interl. omn. iud. & in l. vt vim ff. de iust. & iure, Clem. pastoralis §. ceterum de re iudic. Alex. conf. 5. num. 2. vol. 2. Pariter quod illa sit de iure diuino, patet ex Genes. cap. 3. Vbi Deus Omnipotens, cui omnia secreta clara & manifesta sunt, qui summa est iustitia, noluit Adam condemnare, nisi vocatione præcedente, quæ similis citationi perhibetur (Adam, Adam, vbi es.) Ipso tunc ad auram post meridiem deambulante, vt per Soc. in tract. citat. art. 2. Bart. in tract. ad reprim. in verbo, & in figura iudicii num. 20. Curt. sen. conf. 94. num. 9. Noluit quoque Deus Sodoma, vel Gomorra subuersionem terminare, nisi prius de per se eas inquireret, vt habet in text. in cap. Deus Omnipotens 2. quæst. 1. cap. quarto 6. quæst. 1. cap. summo opere 11. quæst. 3. cap. Henrichus de penit. dist. 5. cap. cum ex literis de restit. in integr. quamvis talis citatio, vel intimatio, vt admodum generalis, vaga, & incerta, nullius momenti sit Bart. in l. demonstratio numero 12. ff. de condit. & demonstr. Bald. in leg. hac consultißima colum. 2. verfic. item verbi obscuritas Cod. qui test. fac. pos. & nisi citatio actum præcedat, eius præposterior illam reddit nullum Fely. in cap. quoniam frequenter numero 4. vt lite non contest. Bald. in leg. non dubium §. opus Cod. de legib. Alexand. consilio 36. num. 10. vol. 2. Ideo male Iudices facere asserit Vant. in titulo de nullit. ex defectu process. fanan. ord. iud. num. 32. quando antequam processus, & merita causæ cognoscant, seu discutiant, pronuntiant, prout in cedula; nam ab isto actu se abstinere deberent, quia vt num. 33. subdit præcipitanter procedunt: Vnde si Deus (cuius præcepta, & vestigia sequi tenemur) ita fecit; non ne eius moueri exemplo debemus ad non pronuntiandam, seu partibus colligantibus præiudicium inferendum absque citatione, & causæ cognitione? Data igitur citationis nullitate, ultra quod vt dixi nullum iudicium, & processum reddit, litis pendentiam non tollit, neque perpetuationem iurisdictionis inducit, neque præscriptionem interruptit Decius confil. 461. num. 28. Archid. in cap. non ita in princ. 2. quæst. 6. Castr. in leg. 1. §. 1. ff. de fer. glossa 2. in cap. vt debitor de appell. Vant. de nullit. ex defectu citat. num. 24. Verall. decif. 182. num. 3. par. 3. immo si pars citetur ad audiendam voluntatem, & sententia feratur sub illa citatione, nulla erit, Vant. loco citato numero 13. Canon. in cap. In nomine Domini de test. cum alijs modernioribus, quos sciens omitto.

RESOLVT. XXXVI.

- 1 Nullitas ex defectu mandati, quando dicatur.
- 2 Habilitas personæ est inspicienda à Iudice in principio Iudicii.
- 3 Nullitas ex defectu mandati impedit executionem trium conformium.

De

De secunda specie nullitatis, quæ per Bullam Clementis opponi permittitur, quæ est defectus Mandati.

- A**lia, & secunda conceditur exceptio nullitatis proveniens ex defectu mandati, quæ locum habet, vel quando cum falso procuratore iudicium tractatur, vel cum non habente mandatum, siue quatenus habeat limitatum, & restrictum, seu invalidum, & insufficiens Bart. & Doct. in l. licet C. de procur. Abb. in cap. 1. a num. 1. vsque ad num. 5. & in cap. in nostra num. 2. eodem tit. forma autem mandati est ad vnguem seruanda, & omnis recessus ab eo, siue in rem, siue in personam, siue in tempus vitiat gesta l. diligenter ff. mandati, Abb. in cap. Pisanis num. 5. de re lit. spol. Paris. conf. 46. num. 41. & seq. vol. 1. nam consensus citra limites ipsius nil operari potest Roman. conf. 291. Dec. in cap. venerabilis sub num. 26. vers. voluntas de except. & in l. 1. num. 11. C. de edend. & in conf. 460. num. 2. Roman. conf. 29. n. 4.
2. Vnde bonus Iudex prius de personæ habilitate querere debet, antequam in causa procedere incipiat, & pariter in iudicio summarissimo: ob id, quando videt processus, aduertat, an fuerit actum cum principali, vel idoneo procuratore, vt per Vant. de nullit. tit. de inhab. ex defectu Mand. n. 3. & ex offic. etiam id facere debet, vt ibidem Vant. n. 66.
3. Quæ nullitas pariter adeo potens est, vt trium sententiarum conformi executionem retardare sufficiat Alex. conf. 77. num. 8. vol. 2. Marfil. singul. 10. Anchar. in Clem. de re iudic. Gemin. conf. 24. col. 5. Bald. in l. generali ter col. 1. Cod. de Episc. & Cleric. Roman. conf. 42. num. 2. & conf. 115. num. 4. Glof. in princ. Clem. vnica in verbo non obstant. de sequest. pos. & fruct. vnde si tollantur aliæ nullitates, ista minimè sublata erit censenda, nisi specificè dicatur, vt latè Couar. pract. q. cap. 25. num. 4. limitans ibidè tunc trium conformium executionem omnimodè impediri ex hac nullitate, quando mandato omnino procurator caruit.

RESOLVT. XXXVII.

1. Nullitas ex defectu mandati reuocati obstat, declarata vt num. 2.
2. Mandatum non habere, vel illud reuocatum habere parificatur.
4. Sententia lata cum asserto procuratore non confitit de mandato, si tamen post sententiam de illo constabit, valebit sententia.

An dispositio Bullæ, circa hoc caput locum sibi vendicet, si mandatum fuerit reuocatum.

1. Dicebam in contingentia facti dispositionem Bullæ Clementis locum sibi vendicare in eo, qui habuit mandatum, sed postea fuit reuocatum, iuxta terminos textus in cap. ex parte Decani de rescriptis, paria enim sunt nullum habere mandatum, vel habere, sed reuocatum cap. mandato, & capitul. ex insinuatione de procurator. Rota decisio. 4. par. 2. diuersorum.
3. Quod intellige, si ad eius notitiam reuocatio deuenit, & aduersarij, quæ notificatio necessaria est, & formiter facienda, siue ante, siue post contestatam litem, vt per Vant. de nullit. tit. de nullit. ex defect. inhab. seu mand. num. 61. ob id, si deinde agat, insanabiliter nullum reddit iudicium, vt dixit textus in cap. in nostra de procur. & in d. l. licet God. eodem tit. ac etiam nullam sententiam cap. ex insinuatione de procur. & plus est mandatum reuocatum fuisse, quam ab initio non habuisse mandatum; ratio vrget,

quia iste procurator ex hoc capite egit contra voluntatem domini sui principalis cap. ex parte: & ibi glof. in verbo mandatum de rescriptis. neque nullitas dicta, relictis expensis tollitur; Staphil. de lite iust. in cap. postremo num. 8. Sed quando sententia lata fuit cum procuratore asserto, non confitit de mandato, si tamen post sententiam de illo constabit, sustinebitur sententia Cresc. in decis. 1. num. 4. de sententia, & re iudic. quod non credo verum quando præcesserit protestatio neminem audiri, nisi confitit de legitimo mandato; adeo quod per ratificationem, gesta conuallidari nequeant: & quod si parte opponente de mandato lata sit; imò quod postea mandato exhibito, & probato omnia gesta fuerint, tenuit Rota Veneris 30. Maji 1597. coram Litta in illa præsentatum mercium, iuxta dicta per Bald. in l. 1. in 2. lect. num. 3. ff. de procur. & conf. 122. numero 1. libro 3. Alex. conf. 146. circa fin. vol. 5. Crauet. conf. 118. etiam si post sententiam producatur Guid. Papæ decis. 208. & Rota idem tenuit in illa Romana Secretarius 20. Nouembris 1592. coram Eminentissimo Domino meo Card. Mellino bona memoria, & in illa de Ardonibus coram eodem 10. Decembris 1594.

RESOLVT. XXXVIII.

1. Bulla Clem. VII. habet locum in mandato nullo.
2. Quod nullum est, nullum producit effectum.
3. Effectus principaliter attenditur.
4. Beneficium absque effectu, estimatur.

An dispositio Bullæ de qua supra locum habeat existente mandato, verum nullo.

1. Respondeo affirmatiuè per textum in l. quoties ff. qui satis dare cogantur, vbi paria sunt aliquid non esse, & inutiliter esse, Nouarius qui ad alia de more infert. libro 1. quæst. forens. cap. 167. a num. 6.
2. cum seq. & quod nullum est, nullum producit effectum cap. quod nullum de reg. iur. sicut a simili, paria sunt prouisionem Apostolicam non habere, & illam sine effectu habere Ias. plura adducens in leg. fin. numero 3. ff. de officio eius cui est mandat. iurisdic. Murconius consil. 16. numero 41. Surdus consilio 3. numero 29. vol. 1. cumulat plura in proposito Iason in l. quoties numero 3. & 4. ff. qui satis dare cogantur; & effectus veritatis, non autem nomen confideratur; sicut pietas non consistit in nomine pietatis; sed in substantia veritatis Lapsus allegat. 95. numero 4.
3. Effectus enim principaliter semper attenditur, l. 2. C. de alim. pupill. præst. lege cum seruis, ff. de verbo oblig. Puteus decis. 100. numero 7. & decisione 252. numero 8. & 9. libro 2. hinc dixit Bal. in rubrica ff. de rerum diuisione sub numero 32. ad medium, quod probatio ab effectu est optima, & sententia probatio, nam querere rationem, vbi habemus effectum, & sensum, est infirmitas intellectus: vnde Rebuffus in compendio alienat. rerum Ecclesiæ, numero 34. in fine, dixit, quod iura nolunt nisi effectum ad finem, & al. legat. lege 1. §. vnde ff. de noui operis nunciat. & quælibet res debet estimari, & considerari secundum suum effectum, Rota decis. 33. numero 14. de præbend. in antiquis cap. 2. de commodato cap. cum dilect. de causa possels. idemque est actum esse nullum, vel non effectum, Aymon. conf. 10. numer. 5. Achilles de Grassis decis. 5. de præscriptionibus, sicut dicimus a simili, quod parum interest collationem Apostolicam habere, nisi illa suum debitum fortietur effectum, ac executioni demandetur, glof. in rubrica C. de except. rei indicatæ l. 2. §. præterea post originem, ff. de origine iuris cap. 3. §. præterea, de elect. libro 6. cap. vnico, §. & quoniam de statu regularium eodem

eodem lib. 6. & tandem facit, quod paria sunt non habere beneficium Ecclesiasticum, vel inutiliter obtinere, puta abique fructibus; unde quando ex beneficio non percipiuntur fructus, non dicitur propriè beneficium, sed beneficium sine effectu, & ventosum, ac fictum, inutile, ac nullius momenti, & cui nomen beneficii non quadrat, vt plenè tradit Gomez. in reg. de annali q. 47. ex num. 2. vsque ad n. 5. vbi alia plura in proposito adducit, & Gonzales in gl. 34. n. 12. plura adducit Euerard. in loco ab effectu per totum, & vide quod scripsit Gonzales de effectuatione collationum in gl. 45. §. 3. & in proprijs nostris terminis de insufficienti mandato, voluit Vantius de nullit. ex defectu mandati num. 74. allegans Baldum, & Doctores in d. l. licet. C. de procurat. & Abb. in cap. constitutus eod. tit. latè Marchesanus de commissionibus p. 2. c. 1.

RESOLVT. XXXIX.

- 1 Dispositio text. in cap. si de vno procur. in 6.
- 2 Procurator dicitur constitutus in solidum quando in mandato apponitur clausula similis clausule in solidum.
- 3 Constitutio procuratorum per verbum vtrumque assimilatur verbo in solidum.
- 4 Constitutio procuratorum per verbum quemlibet eorum, æquiparatur clausule in solidum.

Dispositio Bullæ an locum habeat, vbi comparet in iudicio vnus ex procuratoribus in solidum constitutis.

IN casu mihi proposito respondi terminos Bullæ non subintrare per text. in cap. si duo de procurat. in 6. vbi si plures procuratores sint dicit simpliciter, vnus nihil potest sine alio: secus si darentur in solidum, quia hoc importat illa clausula in solidum, idest, quod quisque habeat solidam potestatem, & quod quisque possit facere id, quod posset Dominus ex se, quatenus tamen se extendit mandatum, prout declarat Abb. in cap. penult. in 3. notab. n. 3. de procurat. & est verior opinio, quicquid Oldrad. Prosdocius. & Zannetius. contrarium senserint, vt per Bald. & alios in l. si pluribus de procur. Butr. in cap. inter dilectos col. antepen. de fid. instrumen. quod refert, & sequitur Alex. consil. 124. viso processu causæ column. 2. in princ. n. 4. lib. 7. vbi ampliat procedere non solum in procuratores, sed in arbitris, notariis, & similibus, idem Alex. consil. 92. videretur prima consideratione num. 6. per tot. lib. 7. concludunt omnes in d. cap. si duo de procurat. in 6. vbi Butrius num. 1. æquiparat tales procuratores pluribus arbitris, & Iudicibus cap. 2. de arbit. cap. prudentiam de offic. delegat. sequitur Ancharan. in dict. cap. si duo in 2. notabil. num. 1.

Præterea idem dicendum est, quando adesset clausula similis clausulæ in solidum; sufficiunt enim verba æquipollentia, vt quis dicatur constitutus procurator ex pluribus in solidum, & possit solus exercere, prout dicimus de duobus reis, & similibus, vt per Bart. in auth. hoc ita opposit. 5. num. 1. & q. 5. n. 2. C. de duobus reis, & ibi Salyc. qu. 1. Aret. in l. 1. col. 3. ff. eodem, Bertaz. claus. 39. glof. 7. n. 4. Domin. in cap. si duo col. 2. in princip. n. 7. vers. quando procedat de procur. in 6. & ibi etiam Ioan. Andr. in princip. Mascard. conclus. 1308. n. 4. lib. 3.

Quare vbi quis plures constituit procuratores, & non dixit in solidum, sed addidit illa verba promittēs habere ratum quicquid ab eis, vel ab aliquo eorum, gestum fuerit; tunc omnes intelliguntur in solidum constituti, quia satis apertè constituens hoc declarauit per verba æquipollentia clausulæ in solidum, Put. decif. 98. lib. 3. quam sequitur Mantica de tacit. & ambig. conuent. lib. 7. tit. 17. n. 7. vers. 5. casus, quibus

Aloys. Ricc. Praxis Pars IV.

adde Mandos. ad Lap. allegat. 22. in verbo in solidum col. 1. in fin. vers. rursus quæro, & col. 2. ante med. vers. pro opinione affirmatiua, vbi quod ita obtinuit in Rota, 30. Ianuarij, & 8. Februarij 1548. coram Puteo in causa Ciuitat. præstimonij, cuius decisionis fit mentio per Achill. decif. 62. alijs prima de procurat. quauis huiusmodi clausula promittens habere ratum, &c. esset posita in parte executiua, quæ licet tunc non ampliet Clement. 1. in fin. de præbend. tamen in hoc casu non dicitur extensio, aut ampliatio, sed declaratio, & intentionis demonstratio, quæ permittitur etiam in executiuis, Iason in l. qui Romæ, §. duo fratres col. antepen. in princ. num. 73. vers. item nec etiam inter scientes de verb. oblig. cum alijs per Mandos. in specie ad Lap. alleg. 22. in verbo in solidum in fin.

Et etiam idem est si constituat quis duos procuratores, & vtrumque ipsorum; nam censetur constituti ambo in solidum, quia illa dictio vtrumque accipitur diuisim, & cuilibet distribuit officium in solidum, vt concludit in puncto Bald. in l. si ita 14. in vit. notab. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam. & ibi Imol. in fin. idem Bal. in l. si apud 17. C. de appell. & in l. pluribus. ad med. vers. nec admittitur ad agendum de procur. sequitur Rebuff. in l. rectè dicimus 25. in fin. vers. item fuerint instituti de verb. signif. per text. in l. creditor, §. duo, ff. mandat. & in l. pluribus de leg. 2. quidquid alias ista dictio accipitur collectiue, & vnum, & alterum requirat glof. in §. ne autem in verb. si quis autem auth. de iudic. & in l. si duas in verb. vtrumque de excusat. tutor. Doctor. in l. cum quidam C. de impub. & alij subtit. & in l. qui duos de rebus dub. cum in casu nostro aliud sit, ne illa verba reddantur superflua contra l. si quando de leg. 1. prout notat in terminis Imol. in d. l. si ita in fine de iniust. test. & ista est verior opinio quidquid Bald. in l. fin. §. ipsum autem filium n. 2. C. de bon. quæ libert. videatur in specie procuratorum cum clausula vtrumque aliud sentire, quem non esse approbandum dicit Franch. in cap. si duo col. 1. in fin. n. 3. Mascardus conclus. 1308. n. 6. sicut etiam si dicti fuisset in constitutione plurium procuratorum, & quemlibet eorum, ista enim dictio quilibet est distributiua, quæ actum vnicuique in solidum tribuit Butr. consil. 29. visis punctis, & quæstis n. 2. Bart. in l. non distinguemus, §. cum in plures de recept. arbitr. & in l. hoc art. 29. n. 3. vers. oppono, & videtur ff. de heredib. instituend. Paris. consil. 49. lib. 2. n. 4. Socci. consil. 50. viso instrumento emphyteusis n. 1. lib. 1. & notat in specie Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib. 7. tit. 17. num. 6. vbi allegat Bisign. decif. 7. de procur. in antiquior. quod etiam prius voluit Prob. ad Monach. in cap. si duo num. 5. de procur. in 6. Nam idem est dicere (quolibet, & in solidum) Alex. consil. 92. n. 4. col. 1. post med. iur. quod autem iud sit verum lib. 7. & consil. 134. videretur n. 1. lib. 5. Rebuff. in l. creditorum 11. col. 1. ad med. de verb. signific. prout quoque esset in similibus verbis denotantibus diuisionem, & actum vnicuique in solidum tribuentibus, de quibus per Bart. & alios in l. hoc articulo de hered. instituend. & quando dictum esset alterum ipsorum procuratorem constituo, significaret vnum ex duobus, Rebuff. in l. ostentum col. vit. in princ. de verb. signif. Aret. in l. 3. §. vbi duo n. 13. & ibi Roncagallus de duobus reis Doct. in l. si ex toto ff. de deleg. 1.

RESOLVT. XL.

- 1 Nullitas ex defectu Iurisdictionis vitiat sententiam, ampliatur n. 4.
- 2 Sententia nulla ex defectu Iurisdictionis, non validatur partium consensu.
- 3 Statutum tollens nullitates, excludit nullitatem ex defectu iurisdictionis.

Dd Dc

De tertia specie nullitatis, quæ est ex defectu iurisdictionis.

- 1** De nullitate autem ex defectu iurisdictionis; (quæ secundum Legistas incipit post litem contestatam, & secundum Canonistas perpetuatur Innoc. in c. ex relato n. 1. & in cap. super questionum n. 2. de offic. deleg.) seu incompetentiæ Iudicis titulum expressum habemus C. fin non comp. Iud. per totum, in l. 1. & in l. si de proprietate, & in l. fin. vbi Bart. Castr. & Salyc.
- 2** immò quod plus est, sententia dictam nullitatem, pariens, non potest conuallidari, neque de partium consensu Doct. in l. si extraneum, ff. de appell. & in l. priuatorum ff. de iurisd. omn. Iud. quia illa erit sententia lata per priuatam personam, de quo vide omnino Causalc. dec. 25. n. 5. 17. 20. 21. 27. & seq. Quamuis Bart. & glos. in l. vnica, C. qui pro sua iurisd. contrarium asserant; & licet per Statutum tollatur, quòd de nullitate dici possit, tamen illa quæ ex defectu iurisdictionis provenit, non tollitur, de quo latè Put. decis. 174. p. 2. Decius conf. 8. n. 7. glos. fin. in c. 1. de seq. poss. & fruct. vbi Doct. Bald. conf. 248. lib. 4. Alex. conf. 77. volum. 2. Imol. in coll. com. opin. lib. 4. conclus. 24. cum multis ampliacionibus, & limitationibus late allegans; Pariter si statutum, sicut Romæ est, prohibeat, quòd post annum agi de nullitate nequeat, non tollit, ut præmissum est, quin de proveniente ex defectu iurisdictionis non valeat excipi. Achil. dec. 51. eodem tit. Franc. in cap. significauerunt n. 12. de except. & in c. ex parte n. 7. de const. Castr. conf. 288. vol. 1. Calcan. cōf. 16. quauis statutum prohibens directè de nullitate, dici prohibeat, pariter, ne de illa replicatio obici valeat, ut idem Achil. decis. 7. eod. tit. & quando principaliter super replicacione excipiendo, nullitas intenteretur, vide Put. dec. 301. lib. 2. neq; etiã principaliter, si adefset defectus iurisdictionis, ut ibid. decis. 8. quòd ampliatur procedere, tam in nullitate sententia interlocutoria, quàm diffinitiuæ, & in omni foro, ut ibi Achil. decis. 9. 10. & seq. de const. limita tamen dictū Statutum, ita de nullitate dici prohibens, eam non excludere, quæ spoliū admixtum habeat, de quo statuto Soc. conf. 121. n. 3. & conf. 150. n. 21. vol. 1. latè Casar de Grassis videndus decis. 1. de const. loquuntur: unde si Auditor Cameræ non extensa obligatione camerale, executiuè illius vigore procedat, omnia nullitatis vitio ex defectu iurisdictionis subiacebunt Gallef. ad oblig. in for. Cam. p. 3. q. 5. sub rubr. de process. & ita alias Rota censuit primò coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore in illa Rom. Palatij Campi Flores. 8. Octob. 1588. ac in illa Rom. Palatij Campi Flores. & non solum per Statutum, verum neq; per quamuis aliam constitutionem de nullitate dici prohibentem præfens nullitas, ut dixi, tollitur Roman. conf. 115. n. 4. in fin. Sarn. in compendio vtriusq. signat. & super reg. Cancell. n. 24. tantumque hanc ex defectu iurisdictionis nullitatem ius abhorret, & priuilegiata inuenitur, quòd non obstante re iudicata, quæ liti finem imponit, de illa obici poterit decisio. 97. n. 3. p. 3. At si processus validus alias fuerit, licet sententia nulla ex eisdè actis, Iudex alterius instantia dummodò iurisdictione habeat, illam cōfirmare valebit, Bart. in d. l. si expressum, n. 17. ff. de appell. Bellam. dec. 340. sed si Iudex ille, maxime si delegatus fuerit, laudandus erit, qui, ad hoc ut eius gesta teneant, suam vult iurisdictionem rimari, Innoc. in c. venerabilis n. 5. de censib. de nullitatibus, & expensis colligantes, ac eorum conscientia grauando inuoluant; Sed si contingat, quòd commissiōe porrecta pro sanatione præfate nullitatis ex defectu iurisdictionis proveniente supplicetur, dummodò ante latam sententiam, poterit denuò rescribi, iurisdictionem Iudici tribuendo, ut per glos. in l. 1. in verbo si à iurisdictione, vbi Bart. n. 4. C. qui pro sua iurisd.

risd. Corset. in repert. ad lect. Abb. in verbo Index incompetens 9. limit. at quando præfata nullitas ex iurisdictionis defectu oriens, altiore requirit indaginem, non attenditur Verall. dec. 156. n. 3. p. 3. Card. in clement. vnica, §. fin. de seq. poss. & propr. secundum distinctionem, Bart. in l. 1. n. 4. C. vbi de cri. agi oportet. Si verò aderit defectus iurisdictionis Iudicis, & litē pendente iurisdicção superueniat ex causa de nouo emergente, nullo modo gesta confirmantur, quia non fuit legitimum initium iudicij, l. momentanea C. qui legit. person. stan. in iudic. sed superueniente iurisdictione ex causa de præterito ex nunc, non ex tunc; confirmatur iurisdicção, l. obseruare §. fin. ff. qui pro sua iurisd. Bart. in l. 1. n. 4. C. eod. tit.

PRAXIS ELECTIONIS.

Quia ex errore hæc materia non fuit adaptata suo loco in titulo de electione supra fol. 18. necessarium fuit hunc eundem titulum denuò hic reportare.

RESOLVT. XII.

- 1 Electio celebrata non seruata forma text. in cap. quia propter reiterari potest.
- 2 Ius propter sententiam priuationis, quæ posset subsequi, non debet amitti.
- 3 Eligentes absque forma cap. quia propter non sunt priuati ipso iure.

An electio celebrata contra formam cap. quia propter de elect. possit reiterari ab eisdem Electoribus.

- 1** Respondeo electionem celebratam non seruata forma cap. quia propter de elect. posse reiterari ab eisdem Electoribus ante latam Iudicis sententiã, & ratio videtur esse, quia ipsi non sunt ipso iure priuati, sed priuandis gl. in cap. 1. & ibi sequuntur omnes Anchar. consil. 145. numer. 3. Rot. decis. 8. numer. 2.
- 2** par. 1. in recent. non enim tenetur quis amittere Ius suum propter sententiam priuationis quæ possit fieri in futurum, nam Ius non absque causa prohibuit istos esse ipso iure priuatos, sed priuandos; Ergo autoritate Iuris possunt interim uti autoritate sua, ita tradunt post Innoc. Panorm. d. cap. quia propter §. nisi num. 4. Rom. conf. 483. num. 9. Castr. conf. 347. num. 1. Menoch. conf. 67. num. 30. Tiraqu. in l. si vniquam, verb. reuertantur C. de reuoc. donat. Card. Tulc. conclus. 76. num. 5. lit. E.
- 3** Quod autem Electores ob contrauentionem dicti cap. quia propter non sint ipso iure priuati, sed priuandi solummodò, tenent Innoc. & Panorm. in cap. 2. de postul. prælat. gl. in cap. Cumana de elect. quodque etiam patet ex verbis text. (ea vi eligendi potestate priuentur) quæ verba cum sint futuri temporis, sui natura non significant priuationem ipso iure, sed per sententiam glos. in cap. quicumque verb. innodentur de hæret. in 6. latè Tiraqu. d. l. si vniquam verb. reuertatur num. 39. C. de reuoc. donat. Menoch. conf. 67. num. 29. Suar. tom. 5. disp. 40. sect. 8. n. 2.

RESOLVT. XLII.

- 1 Votum est exprimendum in ipso scrutinio, non ante.
- 2 Dispositio text. in cap. quia propter §. illud de elect. explicatur.
- 3 Procurator quomodo potest institui, ut exprimat votum.
- 4 Procurator pro exprimendo voto, debet esse saltem constitutus in Ordine sacro Subdiaconatus.
- 5 Procurator constitutus ab absente, non potest duas personas eligere.